

Scriptum per manum Leonis scriniarii sanctae Romanae ecclesiae, in mense Iunio, indictione tertia.

Pariser Nationalbibl. 1) ms. lat. 5455 fol. 2, Copie d. J. 1668 auf Pergament; 2) ms. lat. 12761 f. 374 s. XVII; 3) ms. lat. 12857 f. 531 s. XVII.

V.

Formosus bestätigt die Privilegien des Kloster St.-Denis. 893 Oct. 15. J.-L. 3497.

Formosus episcopus servus servorum Dei omnibus regibus seu principibus praesentibus et futuris nunc et venturis temporibus. Petentium desideriis ita nos convenit impertiri assensum, ut sequentibus temporibus nullis aecclesiastica utilitas valeat submitti dispendiis. Nam tunc petitorum postulatio congruum videtur suscipere effectum, quando venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum apostolica auctoritate corroborata. Idcirco noverit omnium praesentium et futurorum regum et episcoporum seu omnium apostolicę sedis fidelium unanimitas, fratres venerabilis monasterii sancti Christi¹ martyris Dyonisii, ubi ipse domnus requiescit in corpore, nostram implorasse benivolentiam, ut privilegium quondam a sancto Landericō Parisiæ urbis episcopo aliisque sanctis et venerabilibus episcopis de iam fato monasterio sancti Christi martyris Dyonisii tempore Chludovii filii Dagoberti incliti regis factum² et postea predecessorum nostrorum domni Stephani³ ac Leonis⁴, recolendę memorię apostolicorum, suorum auctoritate firmatum, nos etiam nostro dignaremur roborare privilegio. Quorum considerantes atque cognoscentes iusta et congrua beneficentia auctoritate beati Petri, cuius nos immeriti vicarii sumus, nostri privilegii pagina decreta roboramus, praedecessorum nostrorum et venerabilium eiusdem regionis episcoporum, regum omnium et principum potentiam regni Francię obtestantes, ut praefatus locus sancti Christi martyris Dyonisii suis auctoritatibus roboratus nunc et eius⁵ temporibus ratus permaneat, nullusque sedis Parisii seu cuiuslibet aecclesię episcoporum cupiditatis vel avaritię causa, iunctionis suę aecclesię seu beneficii iure, præfatum vestrum locum repetat vel usurpet, non in villis, non in mancipiis, non in auro, non in argento, non in vestibis sive in quibuscunque rebus eiusdem aecclesię vel vestri loci sicut in privilegio a venerabilibus eiusdem regni episcopis facto continetur, sed semper sepredictus locus honore regum perpetualiter decoratus permaneat. Si quis autem temerario ausu magna parvaque persona contra hoc

1) 'Cristi' Hs. 2) In MG. Dipl. Merov. p. 180. 3) Stephanus III. J.-E. 2331. 4) Leo III. J.-E. 2499. 5) 'eius' Hs.; wohl 'futuris' oder 'perpetuis' zu verbessern.